

illi omnes irritabiliori diaphragmate, continere se non potuit, quin altos tolleret cachinnos. Nemo hucusque vir ulla in arte aut scientia exstitit magnus, quin sensus & rationem excoluerit constanter. Ea ire & nos nepotes necesse est. Habeant has disceptationes otiosi philosophi: nos naturam teneamus, sine qua nemo nisi stupidus fuerit: ultra quam, fanaticus. Meminerimus, quæ sunt sæpe dicta, non in hoc fuisse nos a Deo procreatos, ut universi prima stamina causasque interiores in numerato haberemus, sed ut cortice, effectisque uteremur. Præclare Homerus (a):

Ζευ κούρει, μεγαρε, κελαινερες, αιδερι ναιων,  
Deum & inclytum, & summum, & obscura nube rectum  
invocat, quo non primam tantum causam in abdito esse significet, sed maxima quoque ex parte id opus, quod illa machinata est, quodque se ac numine suo implet, occultisque atque mirandis viribus legibusque moderatur.

## C A P. IV.

*De humana mentis libertate, ejusque extensione.*

Prop. XL. **M**ENS humana est libera, sed intra quosdam fines ea continetur libertas.

D. Libertas est ea mentis facultas, qua ex ratione boni vel mali propria, nec invita, & cum animi voluptate operatur (def. 14.): quæ videlicet appetitiones animi, curiositatem, voluntates, impetus vis concupiscibilis, aut irascibilis huc, illuc flectit, atque nunc inhibet, nunc fræna laxat; moderatur denique: plurima autem ex propria boni vel mali ratione & conscientia, nec inviti & animi cum voluptate perpetuo omnes operantur (ex intima conscientia); appetitus nempe aut excitant sæpe numero, aut excitos impellunt, premunt, flectunt, moderantur; quod ii ignorant, qui eo venere stupiditatis, ut sint, necne, nesciant; est igitur mens humana libera. Quod primum.

Jam

(a) *Iliad. B. v. 412.*

Jam quædam sunt, quæ inviti patimur & cum aegritudine, quædam alia quæ imperio animi minime sunt subjecta, non in corpore tantum, verum etiam in ipsa mente; quædam, ad quæ potentia naturæ nostræ non pertingit: nam sæpe appetitus subito erumpunt & vi quadam mechanica, idest irritatione physica instrumenti: sæpe adeo sunt prævalidi ac furentes, ut omnem rationem occupent: sæpe adeo contumaces ut nulli imperio parere ament: sæpe vires nostras excedit aut quo appetitus invitat ire, aut id cavere, quod exhorret: vires plerumque deficient irascibili: deficient timiditati. Et hæc ejus sunt generis, quæ homines sibi animi & naturæ suæ conscios latere nequeunt. Hæc omnia cum moderamini rationis nostræ non subsint, ne libertati quidem subesse possunt (def. 14.), quæ nulla est sine ratione, minor, ubi minor ratio, perfectissima, ubi perfecta, & sui semper compos, & sibi constans (a).

Scholion. Irritavit quosdam, me scripsisse, id quod voluntarium est, nec invitum esse, & cum animi fieri lætitia ac voluptate. Quos ego primum sibi esse ignotos ajo: alioquin qui ignorare possent, nihil quod agamus libere, molestum esse? In ipsis mixtis actionibus, veluti, quum ne mergamur, bona mergimus, status est animi ex utroque affectu mixtus: nam quod libere

Tom. III.

P

vo-

(a) Tota hominis libertas binis verbis absolvi potest, ac digito, ut ita dicam, demonstrari. Exploratum est, causas necessarias agere semper secundum totas suas vires: lapides totis viribus decidunt: elatres totis viribus obiecta obstacula repellunt; ignis, aqua, cetera naturales ac necessaria causa totis semper suis viribus agunt: quod nunc in nobis non contingit. At vero, nisi vim manifestam conscientie facere velimus, ex intima experientia qui liber persentiscit, posse se parte virium agere. Ut ecce, quum ab hacum hunc primum parva vi digitis premo; mox majori; deinde paullo etiam majori; postremo quanta quæo; nemo dixerit, me non potuisse premere totis viribus, quum parte premebam; nam alias ne postremo quidem id potuissem. Qui ergo parte virium agere possum, ac majori, vel minori, prout libitum fuerit, cogor fatari, me non necessario agere, idest esse liberi arbitrii. Itaque vis hoc sit perspicuum, non video, quid in ideis humanis clari aut perspicui esse possit.

volumus, ut vitam servemus, id cum voluptate est: sed turbat hanc voluptatem necessitas, qua quasi vitæ partem projicere cogimur, ut alteram servemus. Deinde non videntur nec in philosophorum libris satis versati, nec in theologorum. Nam Thomas Aquinas non uno loco ait, quod involuntarium est, *cum dolore esse*, ut intelligamus molestia carere, quod liberum est & voluntarium. Quin Apostolus ad Corinth. II. cap. ix. v. 7. liberos largitores *hilaris* vocat, atque hos ait Deo placere; *ἡλαρον γὰρ δοτὴν ἀγαπᾷ ὁ θεός*. Hilarum autem plene liberum dicit: quod ostendit antithesis: dixerat enim *μη ἐκ λύπης, ἢ ἐξ ἀνάγκης, non ex tristitia, neque ex necessitate*; hilariter igitur, idest cum animi voluptate, & lubentissime. Virtus nempe nec cogi potest, & sui læta est: *το γὰρ* (inquit præclare Aristoteles (a)) *κατ' ἀρετὴν ἰδὲ καὶ ἀλύπον, εἰς αὐτὸ δὲ λυπερόν*, idest, quod cum virtute consentaneum est aut jucundum est, aut molestia vacuum: molestum autem minime.

Prop. XLI. Motiva, quibus libertas humana se se determinat, sunt perceptiones boni vel mali, seu bona & mala objectiva. Nihil manifestius esse potest, si intimam conscientiam consuluerimus. In adjecta appendice copiosius id explico. At vero libertas est facultas appetitiones regens: regimus autem appetitiones animi rationibus: quæ si desunt, non ex libere regi dicentur, sed mechanicè erumpere, & vagari.

Prop. XLII. Homines præditi sunt libertate a coactione.

D. Quæ operandi potentia nullo fato rapitur, libertas est a coactione (Schol. def. 14.): est autem fatum externum Peripateticum, Democriticum, Stoicum, Spinozisticum, Muhammedanum (def. 54. primæ p.), a quibus omnibus immunes sumus, ut ibidem copiose demonstravimus; liberi ergo sumus a coactione.

Præterea cujus libertatis motiva proxima suppeditat ratio intima principio agenti ea libera a coactione externa est (Schol. def. 14.): at libertatis nostræ proxima motiva determinantia sunt motiva rationis (ex intima

(a) Ad Nicom. lib. IV. cap. 2.

tima conscientia ex propositione antecedente); est ergo ea libertas a coactione.

Prop. XLIII. Libertas humana est libertas a necessitate naturæ.

D. Quæ libertas regitur interna ratione, cujus actio nec mechanica est, nec unum in modum determinata, est libertas a necessitate naturæ; talis est libertas humana; nam determinatur a bonis vel malis representatis (prop. 41.), idest a ratione & conscientia, quorum activitas nec mechanica est, nec necessaria, si felicitatis & miseriæ appetitum & aversionem generalem ex ceperis, nec unum in modum determinata, quippe quod perceptiones honorum & malorum variæ sint, mutabiles, vagæ, ut patet; igitur motivis nec mechanicis, nec absolute necessariis, nec unum in modum agentibus determinatur.

Coroll. 1. Inest homini libertas indifferentiæ: nam quum libertas humana immunis sit a coactione (prop. 42.), & a naturæ necessitate (prop. 43.), regaturque a motivis rationis nec mechanicis, nec activitate necessariis, nec unum in modum determinatis; nequit non esse libertas indifferentiæ.

Coroll. 2. Est quandoque humana libertas contradictionis, & contrarietatis. Nam est indifferentiæ (coroll. 1.), quæ indifferentia a motivis rationis tantum determinatur: sunt autem rationis motiva bona vel mala representata (prop. 42.); & potest esse bonum representatum verum malum; ut malum representatum verum bonum, quod patet: ita non solum ex duobus bonis propositis unum præ alio eligere possumus, sed idem unum eligere possumus, aut respuere, & malum bono præferre.

Schol. Ex quibus omnibus perspicuum est, unam humanæ libertatis radicem esse rationem, seu potius libertatem humanam, quemadmodum B. Thomas docet, essentialiter esse in ratione per appetitum operante: nam voluntas est in ratione, inquit alicubi ex Aristotele (a). Perspicuum quoque & illud est, turpissime in statu

P 2

(a) P. 2. quest. 9. art. 5. in corp.

quæstionis hallucinari, qui libertatem ita concipiunt, ut omne motivum excludat: talis enim libertas nec ulla esse potest, & naturæ rationali repugnat (a). Sed nec minus erit clarum, si libertas e fonte rationis manat immediate, non idcirco minus esse libertatem, quod *concausis aliis*, ut vocant, temperamento corporis, irritatione physica, vel morali actione externorum objectorum, actione Dei, adjuvetur: nam exploratum est, causam non idcirco desinere esse causam, quod ab aliis adjuvetur (b). Quousque igitur mens humana a stivitate suam retinet in moderando appetitu, operaturque ex ratione boni per desiderium, mali per aversionem, etiamsi ab aliis adjuvetur causis, libera esse non desinit. Quocirca inepta sophismata sunt, quæ adversus humanam libertatem ex temperamentis, irritatione, actione rerum externarum, concursu Dei generali, vel peculiari desumuntur argumenta: concausa tantum ea esse possunt, quæ *causalitatem* (licet eo vocabulo uti) mentis, & regendi arbitrium nullo modo evertunt. Sed ut plenius eam rem & accuratius pertractemus, quam dudum ea super re commentati sumus, appendiculam adjiciemus. Quæ si minus sit tironum captui adaptata, differri ejus tantisper lectio potest.

## A P P E N D I X

Ad superius Caput.

*De libertatis natura & proprietatibus differitur accuratius.*

§. 1. **Q**UUM de rerum differitur natura aut proprietatibus, jamdudum monuere philosophi, quod cuique veritatis, non fallaciæ amanti in perspicuis esse potest, eam rerum naturam, eas proprietates & qualitates, eas causas quærendas esse, quæ vera sunt, non quæ esse possunt, aut, ut essent, desiderata.

(a) Vide eundem S. Thom. 1. 2. tota qu. 9. &amp; 10.

(b) Vide ut idem ibidem egregie hæc explicat.

deramus. Nam qui quæ esse possunt, nec tamen sunt, summo capitis labore perquisivit, atque beato ita ei esse licuit, ut repererit, non magis in philosophia profecit, quam qui nihil unquam tentavit. Ea regula, quum de libertate differitur, potissimum recolenda est. Perquirenda enim est ea humanæ naturæ libertas, quæ nobis a natura inest, & quatenus inest, non ea, quam ex libidine vellemus. Nam qui eam sui libertatem exquirunt, non quæ est, sed quam vellent, ne eam quidem, qua nos natura præditos fecit, reperiunt. Contenti ergo esse debemus iis dotibus, quibus sumus donati, nec aut alias aut majores exquirere, aut impudentius in Dei consilia inquirere, cur has potius, quam alias, aut cur non majores dederit. Quod tam est ineptum & adrogans, quam si quis exquirat curiosus, cur materiæ soliditas, cur igni calor sit inditus, & cur materia metallica aquam, aut aërem mole sua non exæquet: aut cur cum volent præpetibus pennis aquilæ, nos humi repamus. Factarum quidem rerum omnium fines, ac propterea rationes sunt aliquæ necesse est: sed quæ omnia scire nec possumus, & minime necessarium est, impudentissimum vero quum arcana sapientiæ Dei perquisiveris, nec repereris, naturæ tuæ pœnitere, aut adversus Dei providentiam indignari.

§. 2. Sed omnium primum hoc in loco veterum philosophorum causæ efficientis partitiones sunt memorandæ (a). Ajunt igitur quum tres sint modi, quibus efficientes causæ quidquam agunt, tria item esse ejusmodi causarum genera concipienda, ut aliæ sint *synæctica*, aliæ *synæctica*, aliæ *synergæ*. *κατων δε των αιτιων*, inquit Sextus Empiricus, *οι μιν πλειους* (dogmaticorum nempe) *ηγουνται, τα μιν συνεκτικα ειναι, τα δε συνακτικα, τα δε συνεργα*. Ac *synæctica* quidem sunt ea, quæ ipsæ per se, nullis aliis adjumentis, effectum procreant. *Synæctica* vero, quæ parem cum aliis vim ad efficiendum præstant. *Synergæ*, quæ vim quidem aliquam auxiliatricem asserunt, sed quæ nec integra effectus causa sunt, nec præcise concausa. Agant ex. gr.

P 3

Ro-

(a) Vide Sext. Emp. Hypoth. Pyrr. lib. III. cap. 2.

Romani suis tantum copiis adversus Carthaginienfes bellum, debellentque, *αυτις* erunt *συνεκτις*, *causa ipsa per se sola totum effectum complectens*. Pares vires praesent Latini: uterque *αυτις* erit *συαυτις*, *concausa*, *aeque causa*. Copias tantum auxiliares Latini mitant, non eas tamen Romanis pares, *αυτις* dicuntur *συεργη* *auxiliatrix causa*. Itaque quarum rerum sola nostra libertas causa est, earum est causa synectica: quarum ex medietate est causa, causa est synaetia: synerga postremo eorum, in quibus non primas partes agit, sed subsidio tamen venit. Quo in loco animadvertendum est, causam synecticam liberam non definire esse sui juris, si ei synerga accedat: nam quum huiusmodi auxiliares copias pro suo jure admittere, aut repellere possit, non videntur illae libertati derogare.

Si quis nunc iis vocabulis de humanis rebus loqui velit, is pro comperto habeat, solum Deum causam esse plene synecticam: nam ceterae causae omnes energiam, & vim primae & universalis in se admittunt, eaque vi & energia efficientes fiunt. Quare eae actiones, quas secundae, ut ajunt, agunt, partim Deo, partim ei efficaciae debentur, quam iis Deus ipse indidit servatque. Sed illud est in animis humanis peculiare, quo corpora, brutaeque animantes carent, quod efficacia altera, & a communi illa vi bruta & rebus omnibus insita, differente sint praediti. Haec efficacia, quae mentibus est propria, vim alteram brutam ad luhitum moderatur. Bruta illa efficacia saepe synaetia est: haec altera moderans *αυτοξωρια*: Et quidem *synectice*, si sola operetur, veluti quum prave agit: *synaetie*, si pari cum Deo vi. Sed si plures ei ex nostri natura, aut ex *συμπεβυχοις* (*accidentibus*, *ac una simul concurrentibus*) accedunt, eae synergae erunt, ut vix unquam sola operetur: nam & rerum notiones, & affectus, & voluptatis atque doloris morus ei aut ad volendum, aut ad nolendum suppetias ferunt.

Postremo animadvertatur, quas Graeci *συεργη* vocant, & *συαυτις*, nos simpliciter *concausas* toto hoc loco dicere: tam enim existimamus esse concausam, quae majorem, quam quae minorem vim praestat: modo ne

totam. Quibus perspicuitatis gratia definitis, in liberi nostri arbitrii concausas & instrumenta modo inquiramus acute.

§. 3. Quae omnium hominum animis libertatis notio inest, si ex sensu communi aestimetur, clara est, & naturae nostrae sufficiens, nisi abutamur. Nempe ex communi hominum sensu is ex libertate agere dicitur, qui sua vi, & conscientia, seu ex propria boni vel mali ratione suos appetitus, affectusque moderatur: is vero ex necessitate, qui contra boni vel mali propriam rationem, ac conscientiam & invitus operatur. Itaque lubenter agere, & invite velut contraria inter homines habentur. Ne aliam quidem homines, quum de laesa libertate quaeruntur, exposulant. Ea si detur vendi & operandi optio, tum se plane liberos dicunt. In motiva, & instrumenta hujus potentiae minime illi vulgo perquirunt: sint ulla, necne: haec, aut alia sint: potentiora, aut imbecilliora, hac aut illa ratione nobiscum agant, perinde arbitrantur, & philosophorum, saepe nimis curiosorum, imbelles pensum habent: quippe certi, quaecumque sunt eae concausae, non minus libero se uti arbitrio. Eam vero facultatem per se agendi, modo illae ne totam praecoccupent rationem consultatricem, intimitus persentiscunt; nec ullus est aut tam doctus & perspicax, aut tam stupidus, & pectoris obtusi, qui ullis sophistarum conclusiunculis ab ea persuasionem se dimoveri patiat. Eam quoque humanis rebus sufficientem arbitrantur, si recte ea uti didicerimus; ajuntque philosophos, qui tanta moliuntur, quibus liberum hoc arbitrium penes nos esse dubium faciant, non id agere, ut minus simus liberi, sed ut nimis: ab omni enim nos regula abnormes, atque exleges efficere student. Sensum ego hunc hominum communem dici vix potest quanti faciam. Nam ut in iis, quae extra nos sunt, communis aut oculorum, aut tactus sensus certos nos efficit corporum proprietatum; ita efficit internus virium ac qualitatum animi. Quo enim alio argumento probabo me vivere, me intelligere, voluptatem aut dolorem sentire? Me esse liberi arbitrii, quod ex meis notionibus me, appetitusque

meos moderor, eodem sensu scio, quo me esse; hujus futurus incertus, si sum illius.

§. 4. Ex quibus sequitur, ut ear actiones, quæ ex ratione boni vel mali propria, idest ex conscientia, & cum animi aliqua voluptate a nobis fiunt, *libere* sint: quæ vero nec a ratione & electione nostra proveniunt, & vel nobis invitis, esse, aut fieri pergunt, *necessaria*. Loquor, manum jacto, sto, aut sedeo, quia id ex mea ratione volo, liberum est. At cor, ac arteriæ velim nolim pulsant. Quum nemo sit, qui posteriores has motiones non habuerit mechanicas & *necessarias*; nemo esse potest, nisi qui insanire velit, cui primæ non sint *libere*.

§. 5. *Voluntas actio* est ultima facultatis electiva actio, quum aliquid eligimus, aut averfamur ex interna ratione boni, vel mali proficiscens: igitur *voluntas actio* idem est atque electio, cessatio, averfatio: non igitur consistere potest sine ratione. Ergo ratio sufficiens, qua facultas hujusmodi electionum, cessationum, averfationum liberarum sese regit, ratio est boni vel mali. Nam tota ratio sufficiens cur aliquid eligamus ratio est boni, seu potius *bonum ipsum representatum*, & *objectivum*: & tota ratio, cur aliquid averfamur, est ratio mali, seu *malum ipsum representatum*. Ac prior quidem ratio voluptate operatur: posterior dolore. Ut id etiam intelligatur, proxima operationum nostrarum liberarum motiva excitantia, quibus ratio & facultas electiva utitur, esse voluptatem, & dolorem, nec animum alio modo eligere, aut averfari quidquam, nisi voluptatis & doloris alicujus vi, idest irritatione excitatus. Iis instrumentis tota regitur facultas electiva (a). His jure suo utitur libertas seu sequens ac intendens, seu cohibens.

§. 6. Plures sunt hominis actiones, quæ ex voluntate

(a) Hoc quum dicimus, non id intelligimus, rationes boni vel mali vim quoque ipsam eligendi efficere, quæ nisi in natura ipsa sit, nullo pacto inde procreari potest. Determinationum ergo tantum hujus potentie ac vis activa sunt motiva. Quod quæ ratione ac quantà vi efficiant, mox dicemus.

tate manant, seu quæ, posita voluntate (§. 4.), existunt. Ejus rei intime conscii sumus. Ex. gr. posita voluntate movendi oculos, manus, linguam &c. actiones istæ statim existunt, nisi quum organa sunt impedita. Plures quoque sunt cessationes ab agendo, quæ a voluntate pendent, veluti quum cesso a movendis oculis, manibus, lingua, &c. Idem observatur etiam in animi plerisque cogitationibus ac motionibus, seu appetitibus, eorumque usu.

§. 7. Quum dico actiones quasdam, aut cessationes pendere a voluntate, immediatam causam actionum aut cessationum synecticam specto. Nulla enim est alia immediata causa actionum aut cessationum hujusmodi, nisi voluntas, idest ultima facultatis electivæ ex ratione boni vel mali determinatio (§. 5.): sed quum voluntatis immediatum excitans motivum sit voluptas, vel dolor (*ibidem*); voluptatis autem & doloris causa procreatrix perceptio boni vel mali; & hujus irritatio physica, vel moralis; omnes concausæ sunt παραπρονοηζουρες actionum, aut cessationum, aut repulsionum, ad quæ genera omnes actiones liberas confero. Et sunt quidem causæ aliæ, aut potius *concausæ* perceptionum boni vel mali externæ, ignis, aër, aqua, loca, personæ, occasiones, ac sexcentæ aliæ; sed utcumque ab iis mens dependeat in suis perceptionibus, seu excipiendo ab iis ideas, seu subsidium quodcumque ad agendum, quod nunc scire parum refert; quum ejusmodi concausæ, nec præstent menti facultatem eligendi, nec cohibeant, nec vim inferant necessariam, ut velimus, nolimus, nos impellant; quia sunt necessariæ *ortu*, non *efficacia*; imperite faciunt ii, qui inde tantum actionum nostrarum principia accersunt, quasi homo nonnisi pura sit machina mechanica, nullo ipse activo agendi principio præditus. At mens humana principium est activum energiæ & operationum vitæ, saltem rationalis (nolo enim hic litigare), eaque nec corpus est, aut corporea qualitas, nec anima mundana, nec Deus (ex demonstratis); ea ergo tantum, & ex ea principium immediatum actionum & cessationum liberarum petendum est: aliæ vero causæ spectan-

da veluti motiva quædam activi hujus principii. Ita cimex mordet, aut lumen ferit oculos. Sunt irrationes ortu necessariae: efficacia finita. Quum igitur muto situm, integrum facultatis electivæ est.

§. 8. Homo in pluribus est liber. Scilicet libertas est insita facultas animi appetitiones ex propria ratione lubenter moderandi (§. 3.); in plurimis vi interna ac insita agimus aut cessamus ex propria ratione lubentesque (ex §. 6.); in pluribus ergo liberi sumus. Dico autem in pluribus, quod libertas nostra actu infinita non est: suis continetur terminis. Nec tamen idcirco minus libertas est. Quomodo non quod infinita non sit hominis intelligentia, minus est illa intelligentia; minor licet sit. Porro statuta in homine libertate, eaque generatim, ejusque natura & vi paucis explicata, in ejus concausas excitantes & modificationes inquirendum est; eaque refellenda, quæ adversus philosophi plurimi æquo justius, ut mihi quidem videtur, curiosi sunt moliti; in primis Hobbes (a), & Antonius Colinus (b).

§. 9. Principio, libertas nostra in naturalem appetitum, aut impetum & vim naturæ nostræ erga ipsum bonum, & aversionem ab ipso malo natura verum, tale non habet imperium, ut pro lubitu excitare possit, vel comprimere: quanquam regere potest, pluribusque modis modificare: sunt enim eæ naturæ hominis insitæ, & naturales: naturalia vero libertati natura verum subesse nequeunt (c). Præterea eæ perpetuo & perenni conatu in nos agunt, omnemque consultationis, adeoque libertatis usum prævertunt. Inde fit, ut apud philosophos actiones, quæ ex iis viribus inconsulta ratione emergunt, in censum actionum moralium non veniant. Nam ea demum a philosophis voluntas libera habetur, quæ proëresi, seu consilio determinatur, quod ab Aristotele adnotatum omnes retinuerunt Scholæ doctores

(a) In opusc. de libert. & necess.

(b) Recherches sur la liberté in Collect. Leibn. Newe. &c. tom. 1.

(c) Id significat, effici non posse libertate, ut irascibilis vel concupiscibilis vim nullo modo sentiantur.

res (a): ratio scilicet liberos efficit. Modificare ergo potest; evellere nequit. Porro quum modificat, ex inadæquatis summi boni vel mali ideis modificat.

§. 10. Earum inclinationum, aut declinationum, de quibus superiore §. dictum est, originis ratio sufficiens in Dei voluntate & hominis essentia est posita. At sunt inclinationes aliæ aut declinationes peculiæ, quæ etsi generalium illarum moderatione & determinatione in objecta particularia existunt, earum tamen existentia ratio sufficiens sunt ideæ bonorum vel malorum peculiarium voluptate aut dolore naturam nostram percipientes, ac flectentes. In his patiendis libertas mixta cum necessitate quadam nobis inest. Et quidem liberi sumus in utendo: possumus sæpe earum causas, ideas nempe bonorum, vel malorum peculiarium evertere, in consultationem rationis revocare: perpendere accuratius: quandoque etiam exhibere nobis alias, aut eas investigare, atque interim a prioribus animum tantisper abducere: erumpentes interdum in potestate nostra habemus, & aut coercemus, aut, ne laxatis frenis ultra profiliant, regimus. At positus semel fixisque notionibus boni vel mali, indeque genita irratione instrumenti; & ob arctam connexionem rationis, & appetitus, excitatis animi commotionibus, invita mens eas patitur, ut nequeat subita voluntate compescere: quin interdum adeo illæ omnem rationem occupant, eliduntque, ut animus mechanismo quodam rapiatur. Quod scholæ aliis efferunt verbis, non potest mens bonum qua bonum aversari, malum qua malum sectari: & primi motus non sunt in nostra potestate. Hæc necessitas hypothetica dicitur & consequens.

§. 11. Inclinationes animi & declinationes particulæ, seu peculiæ appetitus, non omnes sunt æque vehementes: habent ergo suas intensitates, quæ commode per gradus distingui possunt. Eatum nunc intensitatum causæ physicæ investigandæ sunt, ut quatenus in eas possit facultas electiva, quo vero consistat, intelligatur clarius. Est autem id faciendum accurate,

(a) Vide S. Thom. 1. 2. q. 9. art. 4. in corp.

quandoquidem actionum plerarumque vitæ humanæ fontes in hujusmodi inclinationibus, aut declinationibus, seu, si mavis, appetitionibus, aut aversationibus, ac habitibus continentur.

§. 12. Exploratum est, ut illas generales (§. 9.), ita has peculiare inclinationes bonum, vel malum habere pro objectis. Sed oportet philosophum distinguere inter *bona & mala objectiva*, ac *bona & mala realia*. bonum & malum objectivum voco quantitatem boni vel mali, quæ in idea boni vel mali apparet: *reale vero*, quæ in rebus ipsis, quæ velut bonæ, vel malæ percipiuntur, inest. Non semper æqualia sunt objectivum & reale bonum; objectivum, & reale malum. Nam possunt reale bonum, ac malum minora, aut majora apparere: possunt diversa: potest malum apparere bonum, bonum vero malum. Nihil frequentius in vita humana accidit, nec quidquam efficacius hominum miseriam progignit (a).

§. 13. Inclinationes, aut declinationes animi peculiare non oriuntur nisi a bonis, vel malis objectivis: nam oriuntur ab ideis bonorum vel malorum peculiarium, quæ generales inclinationes voluptate & dolore moderantur, & determinant (§. 10.). Ex quo consequitur, ut earum inclinationum & declinationum gradus intensitatis sint in ratione bonorum, vel malorum objectivorum. Ut si ex. gr. quantitas boni objectivi sit = 6, & inclinationis erga illud intensitas erit = 6. Porro si mali objectivi quantitas sit = 4, erit declinationis intensitas = 4. Ea quum sint manifesta, non admodum perfecte, ut solebat, Renatus Cartesius (b) voluptatem ex magnitudine perfectionis realis illam producentis esse metiendam scripsit; nihil enim exploratius est, quam voluptatem & dolorem oriri ex bono aut malo objectivo telam nervosam irritante (c) non reali.

§. 14.

(a) Intellectus non percipit res per modum rerum ipsarum, sed per modum sui, inquit cogitate S. Th.

(b) Ad principem Elizabetham Palat. ep. 6. prim. part.

(c) Qui naturam humanam secum ipse pensaverit, modo ne fuerit physiologia plane ignarus, intelliget, nullum in nobis appetitum gigni nisi a molesta irritatione mechanica, ex qua altera, quam

§. 14. Nec minus illud verum est, posse plerumque bonum reale producere in animo nostro declinationem, malum vero reale inclinationem; quum illud pro malo, hoc pro bono traduci possit (§. 12.). Cui simile & illud est, posse majus bonum reale inclinationem minorem facere, minus majorem; ut minus malum declinationem progignere majorem, quam majus; quod postremum tum potissimum contingit, quum *majus* bonum, aut *malum* distantius est, *minus* vero propinquius. Scilicet quemadmodum corpora in ratione distantia ab oculo majora aut minora videntur, & attractiones corporum decrescunt in ratione duplicata distantiarum, ita appetitus nostri, aut aversationis objecta crescunt aut decrescunt in ratione distantiarum; quia in ea ratione decrescit claritas & evidentia perceptionum, ac vis sensationis.

§. 15. Duo *bona objectiva æqualia*, sed opposita, inclinationem quidem *generalem* & vagam progignere possunt, *particularem* vero nullam. Nempe inclinatio generalis nascitur ex opinione boni ut boni: quum autem duo bona objectiva A, B utcumque diversa unum sint in ratione boni; persistat integra eorum activitas ut bonorum; progignunt ergo inclinationem generalem & vagam, seu innatam appetendi constitutionem, excitant, agitant, fovent. Quod erat primum. Jam quum inclinationes animi peculiare sint animi erga peculiariora objecta determinationes seu inflexiones, nec possit simul in oppositas partes animi appetitus ipse per se flecti, ob æqualitatem vero bonorum ne in alterutram quidem; efficitur, ut quousque bona illa objectiva sunt æqualia, nullam peculiarem inclinationem producant. Quare si in alterutrum mens se determinat, id quod ob finitam horum appetituum efficaciam, & libertatem potest, non inde determinatur, sed alias rationes

quam moralem diximus, existit. Nam nemo appetit, nisi id, quo caret: id autem, quod nobis deest, aut ipsum per se mechanicam gignit irritationem, ut in fame, siti: aut postquam ab animo perceptum comprehensumque est, primum animum ipsum phantasia inflat, unde existit irritatio cerebri, deinde cor, nervos, totumque ferme corpus, ut in venere, ira, ambitione, avaricia.

nes sectetur necesse est. Quam rem Aristoteles exemplo capilli æqualis ubique vis explicat: hunc capillum nulla in parte rumpi posse, quacumque adhibitiva vi, arbitratus est: quod utcumque falsum, clare tamen demonstrat, quod ille voluit, quodque Scholastici magna consensione sectati sunt.

§. 16. Si idem objectum A duas in nobis producat ideas unam boni D, alteram mali C intensitate æquales, sed contrarias, nullus inde sequi potest peculiaris animi appetitus. Sit  $D = 4$ , C itidem  $= 4$ , erunt inclinatio & declinatio æquales; ergo erit inclinatio erga D  $= 4$ , declinatio a C  $= 4$ . Quocirca erit inclinatio  $= 4 - 4$ , idest nulla: & declinatio  $= 4 - 4$ , idest nulla.

*Scholion.* Id vero contingere posse hinc fiet manifestum, quod nulla pene res sit, quæ non ex pluribus velut adspectibus & faciebus nobis offerri possit. Quin hinc fit, ut eadem res uni quidem amabilis, alteri odiosa videatur: huic honesta, alteri turpis: magis huic pulchra aut deformis, alteri minus. Qui si adspectus adeo exiles in nobis perceptiones, ac veluti fugientes progenuerint, ut statim elabantur, ex res videbuntur nobis *adiapores* indifferentes, quæ aliis gravissimæ.

§. 17. Intensitates bonorum vel malorum objectivorum sunt ipsæ idearum bonorum vel malorum intensitates. Intensitatem vero idearum bonorum vel malorum voco earum *claritatem, distinctionem, plenitudinem, durationem*, aut obscuritatem, confusionem, imperfectionem.

§. 18. Si ideæ sunt innatæ, bonorum vel malorum intensitates sunt & ipsæ innatæ (ex §. 17.). At quum experientia doceat in majori hominum parte realia mala esse *bona objectiva*, & contra realia bona esse *mala objectiva*, si ideæ sunt innatæ, idest menti a Deo communicatæ, sequitur Deum hominibus illudere, quod intolerabile est absurdum. Idem dici potest, si Deus singillatim in nobis ideas producat, prout nobis sunt illæ ad munera nostra perficienda necessariæ: aut si in sua essentia manifestet. Quod argumentum invictum est contra tria illa *deliria metaphysica*.

§. 19. Postulo igitur, ut omnes ideæ nostræ statuatur *sensus esse, & meditationis atque conjectura*. Nam quanquam ea opinio valde sit controversa, est tamen & naturæ humanæ consentanea, & phænomenis cogitationis humanæ explicandis accommodatior, & a præsentibus philosophis probatissima. Itaque ipse Wolfius, alias *præstabilita* harmoniæ patronus, ita in moralibus disciplinis philosophari vult, quasi reciprocus esset inter mentem & corpus influxus.

§. 20. Omnis irritatio physica moralem in animo gignit: & vicissim omnis moralis physicam. Nam animus & corpus ita inter se copulantur, ut nihil in altero esse possit, cui tantundem non respondeat in altero; ergo posita in organo irritatione physica doloris vel voluptatis, necesse est consequi in animo moralem: & vicissim si in animo moralis aliqua amoris, lætitiæ, timoris, iræ excita fuerit irritatio seu libera, seu necessaria, sequatur oportet in corpore irritatio physica. Id quivis per se ipse experiri potest, si ea, quæ quotidie sibi contingunt, attente secum reputet. Inde est ut quædam somnia seu læta, seu mœsta sæpe somnum abrumpant. Inde in iisdem somniis risus, cachinni; aut singultus, lacrymæ, tremores, subita fuga. Inde spectacula, tragædiarum, aut comædiarum lectiones magnos, diversosque in vultu motus progignunt. Contra irritatio diaphragmatis, jecinoris, cordis, nervulorum, cerebri, cutis tot in animo at tam diversos affectus procreat. Sed nec minus exploratum est, intensitates irritationum animi naturalium esse semper in ratione intensitatum physicarum: & intensitates physicas, quas morales excitant, in ratione moralium. Appetitus ex. gr. cibi major est aut minor, prout intensior fuerit aut minus intensa irritatio ventriculi: & palpitatio cordis in timore panico major aut minor pro majori aut minori animi commotione. Quum quædam sint animi appetitiones, quæ eo vires majores acquirunt, quo diuturniore cogitatione animo versantur ideæ, unde existunt; quilibet per se animadvertere potest, qua proportione appetitus illi in gulæ, iræ, veneris, &c. adoleseunt, eadem vehementius irritari corpus: ac